



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 4. Lotharingus Cardinalis indigne vexatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI
A. C. 1560.

*Thuan. l. 27.
Mezer. hist.
de France
tom. II.
p. 801.*

Ordo in Carmelitarum cœnobio conve-
nerant, ut circa facultates eis datas de-
liberarent, plerisque ex Nobilitate, ac
plebe caussantibus, quod iudicandi po-
testas ipsis delegata per Regis mortem
expirasset, proin illam haud amplius
exercere valerent, necnon ad novam
Deputatorum electionem procedendum
esset: porro cum illorum petitio ad Na-
varræ Regem scripta deferretur, hic
illam sanctiori Consilio exhibuit, ubi
per Decretum die vigesima Decembris
fuit sancitum, ut Deputati in actione
cæpta eadem jurisdictionis potestate,
quam hucusque habebant, deinceps ute-
rentur, eo potissimum nomine, quod
*ex Regni lege vivus mortuum excipiat, ac
prima delegatio facta fuerit nomine Re-
gis, hic autem in Galliis nunquam moria-
tur, sed continuata possessione Regnum a
decessore in legitimum Successorem sine in-
termissione transmitti videatur.*

§. IV.

*Lotharingius Cardinalis indigne
vexatus.*

Ceterum Lotharingius Cardinalis jam
ante Regis Francisci mortem de o-
ratione nomine trium Ordinum in co-
mitiis habenda præter morem cogita-
verat; id tamen, quamvis infolens tunc
videretur, pro tempore dilatum magis,
quam

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

quam negatum omnino fuerat; nam assentiebatur sacer ordo, quem ille arbitrio suo circumagebat. Referunt insuper Scriptorum nonnulli, quod hujus Cardinalis oratio potius suæ familiæ apologia, atque mordax Satyra in Calvinistas fuerit, hinc eam perorare prohibebatur, quamvis Grineus ejusdem emissarius, ac Parisiensis Sacelli Cantor hanc facultatem concedi vehementer, irrito tamen conatu, peteret, nobilitatis tamen, plebisque Ordines pertinaciter obluſtabantur, & quidem Nobiles id Majorum instituto adversum dicebant, semperque in usu fuisse obtendebant, quod quilibet Ordo proprium suum haberet Oratorem: Plebæi vero caussabantur, a se nunquam permittendum, ut Vir, adversus quem ipsimet querendi ausam haberent, in ipsorum Advocatum eligeretur: insuper nova Cardinali accesserat vexatio, dum nequidem a Sacro Clericorum Ordine tanquam Orator nominaretur, sed ad hoc munus Joannes Quintinus Augustodunensis, atque in Universitate Parisiensi juris Canonici Doctor designaretur: porro pro Nobilibus perorabat Jacobus Silyus Rupifortii Baro, nomine autem plebæi Ordinis sermonem habebat Joannes Angelus, Burdegalensis Curia Advocatus.

L 1 4

§. V.